



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Addenda Ad Librvm Qvintvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ADDENDA AD LIBRUM QUINTVM.

CAP. XLVII. post illa verba paragra-
phi X. mandata exequi non timebit,
adde.

XI. Quare culpandus aliquo modo vide-
tur Innocentius IV. qui licet intelligeret
Legatorum acta non esse excutienda, ut ip-
semet innuit in epistola quam anno sexto
sui pontificatus scripsit ad Abbatem sancti
Martini Treverensis, attamen confirmare
recusavit ea quæ à Legato sedis apostolicæ
gesta fuerant in causa Ecclesiæ Varmaciensis,
donec totum illud negotium apud se-
dem apostolicam examinatum ac discussum
fuisset. Præstat heic describere epistolam
integram ex veteri codice Bibliothecæ Col-
bertinæ. Ex parte dilecti filij R. electi Vvar-
maciensis fuit nobis humiliter supplicatum ut
cum dilectus filius noster P. sancti Georgij ad ve-
lum aureum Diaconus Cardinalis, apostolica sedis
Legatus, electione quàm Capitulum Vvarmaciense
de Corrado Preposito Vvarmaciensis Ecclesiæ de
facto celebraverant rite cassata, de prædicto Ri-
cardo ipsi Ecclesiæ duxerit in Episcopum provi-
dendum, provisionem eandem confirmare de be-
nignitate sedis apostolicæ curaremus. Licet autem
vehementer presumamus pro iis quæ à Legato
acta sunt in hac parte, plenius tamen de præ-
missis, an canonicè omnia processerint, certifica-
ri volentes, mandamus quatenus præfatum ele-
ctum & alios, si qui fuerint qui se provisioni
factæ de dicto R. velint opponere, ex parte no-
stra peremptoriè citare procurent ut infra compe-
tentem terminum à nobis præfigendum eisdem
cum omnibus rationibus & munimentis suis per
se vel sufficientes & idoneos procuratores nostro
se conspectui representent, facturi & recepturi
quod iustitia suadebit. Datum Lugduni II. No-
nas Augusti anno sexto.

Cap. LI. § V. post illa verba, appellatione
remota teneri decernas, adde.

VI. Quinquagesimo post anno Raimun-
dus Nemausensis in prima Narbonensi Epif-
copus parem querelam detulit ad Innocen-
tium quartum, sufficere se non posse solven-
dis procurationibus Legatorum, quibus non
modicum gravabatur, nisi personarum eccle-
siasticarum suæ dioceseos opibus adjuvaretur,
quæ se per privilegia sedis apostolicæ
prætendebant immunes esse à solutione pro-
curationum. Extat hujus rei testis epistola
Innocentij IV. ad Episcopum Vveticensem
in veteri codice MS. Bibliothecæ Colber-
tinæ, quam heic putamus esse describendam.
Ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Ne-
mausensis fuit nobis humiliter supplicatum ut

cum ipse in procurationibus Legatorum & Nun-
tiorum apostolica sedis non modicum aggravetur,
ad contribuendum eidem in hoc Abbates,
Priores, & alios Prelatos & Clericos Ecclesia-
rum subiectarum sibi suæ civitatis & diocesis
compelli, prout Ecclesiarum ipsarum facultates
exigunt, mandavimus. Attendentes igitur quod
onus omnibus competens in plures divisum faci-
lius supportatur, mandamus quatenus prædictos
Abbates & alios, ut in iis ipsi Episcopo juxta
facultates proprias proportionaliter contribuant,
monitione præmissa per censuram ecclesiasticam
appellatione remota compellas. Nonobstante in-
dulgencia si qua est eorum aliquibus ab apostolica
sede concessa ut interdicti, suspendi, & excommu-
nicari non possint per literas apostolicas absque
ipsius sedis speciali mandato faciente de hac in-
dulgencia mentionem. Datum Lugduni III. Kal.
Decembris anno sexto.

VII. Quia verò Legati &c.

Ibidem §. VI. post illa verba, duæ vel plu-
res conjungantur in unum, adde.

VIII. Secundum jus illud, quod haud-
dubie dexteritate dein & industria Legato-
rum explicatum & amplificatum est, Nico-
laus IV. anno M C C L X X X I X. ad Rudolphum
Imperatorem mittens internuntium Beneve-
nutum Episcopum Eugubinum, eumque
commendans Patriarchis, Archiepiscopis,
Episcopis, Abbatibus, aliisque Ecclesiarum
Prelatis, primum jubet ut ei pro suis & fa-
milia suæ necessariis in tribus libris Turonensium
parvorum diebus singulis & securo conductu nec-
non in electionibus opportunis, si suæ in via de-
cesserint vel defecerint, liberaliter providere cu-
rent. Deinde decernit ut si eundem Episco-
pum in aliquibus locis vel loco interdum moram
trahere contigerit, non solum earundem eiusque
vicinarum & adjacentium partium sed aliarum
etiam remotarum Patriarchæ, Archiepiscopi &c.
contribuere in subventionibus hujusmodi tenean-
tur. Ac ne quis se privilegio tueri posset,
privilegia abrogat, ac præterea eos ad eam
contributionem cogendos esse edicit aucto-
ritate censuræ ecclesiasticæ. Addit enim:
Alioquin sententiam quam ipse per se vel per
alium seu alios rite tulerit in rebelles, super quo
plenam ei concedimus auctoritate præsentium po-
testatem, ratam habebimus & faciemus auctore
Domino usque ad satisfactionem condignam ap-
pellatione remota inviolabiliter observari. Epi-
stola illa, quæ data est x i. Kal. Maij anno
secundo, extat in veteri codice MS. Biblio-
thecæ Colbertinæ.

IX. Huic juri is color quæsitus &c.

Odor. Raynaldus
ad an. 1239. §.
47.

Ibidem §. XII. lege.

XIV. In Gallia quoque nostra motus interdum aliquos excitarunt illa Legatorum procurationes, ut supra vidimus in paragrafo sexto istius capituli. Sed præterea illud ipsum colligitur ex epistola Innocentij IV. &c.

Ibidem §. XIV. post illa verba, abolitis nimirum prorsus illis procurationibus, adde.

XV. Addenda necessariò est in hoc loco notabilis historia de Ioanne Columna Archiepiscopo Messanenfi, quem anno MCCCLVII. Alexander IV. in Angliam misit cum amplissima potestate Legati à latere, tamen cum à nomine Legati abstinere iusserit. Præ isto enim ceteri ferme Legati fuere modestissimi in exercendo munere suo, si vera sunt quæ de illo narrat Matthæus Parisius. Assumptus ille fuerat ad archiepiscopatum Messanensem ex fodalitio Dominicanorum, ideòque abjecti, sed non deserti, instituti memor, magnum fratrum numerum secum in provinciam duxit, ut eorum ope & industria faciliùs ea perduceret ad effectum quæ tentanda inter Anglos forent. Quanta fuerit ejus avaritia, quanta superbia hominis quem indigenæ ex priorè vitæ instituto colligebant debere esse modestissimum, quæ crudelitas in exigendis procurationibus, docet idem Parisius his verbis: Anno quoque sub eodem, imminente quadragesima, missus est à Domino Papa, nesciebatur ad quid, Archiepiscopus Messanensis in magno apparatu familiarum & equorum, videlicet fratrum de ordine Predicatorum. Et cum habuisset literas papales de procuratione exigenda & recipienda cum magna pœna contradictores puniendi, misit literas imperiosas ad quemlibet Prelatum ut ei, secundum quod eis significavit, in procuratiis providerent, ita quòd ex domo sancti Albani & ejus cella viginti & unam marcam extorsit. Et cum venissent monachi sancti Albani ut ipsum in hospitio suo civiliter viderent, non permisit eos exire, imò ipsos quasi incarceratos retinuit, donec sue avaritiæ satisfecisset. Et cum modeste respondissent monachi se nullum ibi habere denarium, iratus Archiepiscopus respondit procaciter: *Ut quid tam mendici estis? Mittite igitur pro aliquo mercatore qui vobis commodare velit. Et factum est ita, quia sic oportuit. Non enim permittebantur exire monachi, quamvis essent de conventu præelecti, videlicet Archidiaconus sancti Albani, & Dominus Iohannes Abbas bajulus & procurator. Iste Archiepiscopus Messanensis fuit frater de ordine Predicatorum, in quo humilitatem sperabamus uberiores, qui à Domino Papa de procurationibus extorquendis talem literam meruit obtinere.*

Pag. 172. col. 2. in ultima linea, post illa verba, Et dirigitur ipsi Legato, adde.

XX. Insignia illa, quod toties dictum est, fuisse rubea, alios porrò Legatos uti eis de jure non potuisse nisi eos qui missi de latere mare transeunt, ut ait Bonifacius octavus, docuit etiam nos epistola Innocentij I V. data ad Patriarcham Hierosolymitanum anno millesimo ducentesimo quadragesimo octavo. Tribuerat ille auctoritatem Legati per Orientem Patriarchæ Antiocheno. Is verò patriarchatum Hierosolymitanum ingressus, sive quòd ita mos exigebat, seu ut magnitudinem suam tali modo etiam extra patriarchatum suum ostentaret, legationis insignia portaverat. Malè id habuit Hierosolymitanum, qui Legatus quoque erat apostolicæ sedis. Ad hunc ergo leniendum Pontifex hanc epistolam scripsit, quæ nunc primùm editur ex veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, ob nostram, præmissa tamen protestatione, reverentiam toleraveris ut venerabilis frater noster Patriarcha Antiochenus apostolicæ sedis Legatus, quando fuit in Accon, portare legationis insignia, incedere cum rubeis, & signare populum Acconensem, cum talia non competant nisi Legato à nostro latere destinato, nos tuis supplicationibus inclinati presentium tibi auctoritate concedimus ut per hæc nullum Ecclesiæ tuæ præjudicium valeat generari. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Lugduni xv. Nonas Decembris anno sexto. His ita enarratis de Legatorum insigniis, persequamur instituti nostri rationem.

XXI. Redeundum igitur nobis est ad factum & pompam Legatorum, ut caput istud claudamus exemplo valde illustri, sive ad personas respiciamus de quibus heic agitur, sive ad gloriam & apparatus tantæ legationis. Anno MCCXC. Nicolaus quartus Legatos in Galliam misit Gerardum Episcopum Sabinensem & Benedictum Caëtanum tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, qui deinde factus Pontifex Romanus, Bonifacius dictus est istius nominis octavus. Illos admodum graves provincialibus fuisse reperio in veteri Chartulario sancti Maglorij Parisiensis, cujus mihi copia facta est beneficio viri clarissimi & de re literaria optimè meriti Antonij Vionis Herovallij. Extat enim in Chartulario illo vetus Chronicon ab auctore illorum omnino temporum scripto rythmis Gallicis, in quo inter cetera agit de ista legatione. Ait ergo venisse in Franciam Cardinales anno MCCXC. cum Rege tractaturos de quibusdam negotiis quorum causa nondum vulgata erat. illos immensos ac prodigiosos sumptus fecisse quacunque iter facerent, hincque factum

ut

Matth. Paris. ad
an. 1257.

Ord. Royall. et
an. 1290. 5. 17 &
1291. & ad an.
1294. 5. 21

ut multum incommodi fuerint Abbatibus & Prioribus. Habuisse enim in comitatu suo, præter domesticos, equites quingentos. scire se pro certo eos non ita splendide procedere solitos in patria sua, id est, in Italia. Deum sanè, cum inter homines degeret, istiusmodi satellitio munitum non fuisse. Præstat autem heic describere ipsa hominis verba.

*Et cele année sans doutance
Vindrent le Cardinal en France
En mesage parler au Roy.
Mais on ne seut onques pourquoi.
Et outrageus despens feisoient
Par tous les leus où ils aloient.
Dont le Prieur & li Abbé
Se tenoient à mont grevé.
Bien orent en leur compaignie
Cinq cens chevaux sans leur mesnie.
En leur país sai-je sans doute
Qu'il ne menoient pas tel route.
Ainsi n'ala pas Dex par terre
Quant il vint ses amis requerre.*

XXII. Quanto modestior Legatis illis fuit magister Herlotus, quem Alexander quartus in Angliam proficisci iusserat anno millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo. Et tamen illius fastum damnat Matthæus Parisius, licet verbis non admodum duris. Hæc sunt ejus verba: *Et citò post, videlicet septimana proxima ante Pascha, venit in Angliam magister Herlotus Domini Pape Notarius & Clericus specialis: qui quamvis Legatus non diceretur, non tamen Legati caruit nobilitate. Venit enim Londinum cum viginti equitaturis; cuius familia collateralis octo capis, videlicet quinque clausis, & quinque manicatis, de optimo moreto superbiuit redimita.* Verum, ut liberè dicam quod sentio, puto locum istum emendatione indigere, & pro *viginti* legendum esse saltem *centum viginti*. Nam quo modo fastus hic Herloti notari potest, si modicus iste viginti equitum numerus conferatur cum fastu Legatorum illius seculi ac superioris, qui vigesimum evæctionum numerum longè superabant contra instituta Concilij Lateranensis. Præterea equites viginti sufficere non poterant dignitati illius viri qui collaterales saltem octo habebat capis indutos, quorum propterea quilibet habere debuit plures famulos ut omnia congruerent. Itaque omnino puto in editionibus Matthæi Parisij excidisse heic vocem *centum*, quæ restituenda

est. Locum autem illum esse alioqui mendosum vel ex eo colligitur quòd primò auctor collaterales illos capis indutos ait fuisse octo, statim verò decem. Hunc autem Herlorum, non secus ac alios qui frequenter per ea tempora à Romano Pontifice mittebantur in Angliam, illic fuisse in damnum & subversionem totius regni, haud dubiè ob exactionem procurationum & immensos sumptus, adnotat infra Parisius his verbis: *Vnde certatim advenerunt in Angliam Nuncij Papales ultramontani, sterlingorum speciem olfacientes, ad Regem, ut opima munera reportarent; utpote Episcopus Bononiensis, qui ex parte Pape annulo quodam dictum Edmundum de regno Apulie investivit. Messanensis quoque Archiepiscopus, qui non vacuus recedebat. Nunc frater Iohannes de Dixia, nunc magister Bernardus, nunc magister Senisus, nunc Rustandus, nunc Herlotus, & multi alij quos longum esset enumerare; quosque omnes & singulos Dominus Rex cum summa reverentia suscepit & honore, in damnum tamen totius regni sui & subversionem.*

Cap. LV. §. XV. post illa verba, salva honestatis conscientia subticere, adde.

XVI. Haud ita multò post, cum Rex Legionis filiam Regis Castellæ, neprem videlicet propriam, in matrimonium duxisset, Innocentius III. ob eam causam in Hispaniam anno M C X C V I I I. legavit fratrem Raynerium cum amplissima potestate, ut patet ex variis ejusdem Innocentij epistolis. De rebus autem ab eo gestis in legatione illa scribens anno sequenti ad Archiepiscopum Compostellanum & ad Episcopos in regno Legionensi constitutos, eum ex eo inter alia commendat, quòd manus suas excusserit ab omni munere. Præstat heic referre ipsa ejus verba. *Quod cum ad nostram notitiam pervenisset, inquit, dilectum filium fratrem Rainerium, virum scientia & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ & honestatis acceptum, in Hispaniam duximus destinandum, ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes: qui per Dei gratiam ab omni munere manus excussit; ita ut quod legitur, de ipso possit verè referrì: Non fuit qui ditaverit Abraham. Describit ista auctor gestorum Innocentij III. iisdem omnino verbis, ut necefse non sit ea repetere.*

Innoc. III. lib. 4.
epist. 21. 22. 23.

Idem lib. 1. ep. 71.

F I N I S.